

Druso, in Dalmatia agente, Hadriatici, ac mox Ionij maris aduersam nauigationem perpeſſus. Igitur paucos dies inſumpſit reſciendæ claſſi; ſimul ſinus Actiaca victoria inclutos, & ſacratas ab Auguſto manubias, caſtraque Antonij cum recordatione maiorum ſuorum adiit. Namque ei, vt memorauimus, auunculus Auguſtus, auus Antonius erant; magna que illic imago triſtium lætorumque. Hinc ventum Athenas, fœderique ſociæ & vetuſtæ vrbs datum, <sup>a</sup> vt vno liſtore vteretur. Excepere Græci quæſitiſſimis honoribus, vetera ſuorum facta dictaque præferentes, <sup>b</sup> quò plus dignationis aduſatio haberet. Petita inde Eubœa, tramſiſit Leſbum, vbi Agrippina nouiſſimo partu Iuliam edidit. tum extrema Aſia, Perinthumque ac Byzantium Thracias vrbes, mox Propontidis anguſtias, & os Ponticum intrat, cupidine <sup>c</sup> veteres locos, & fama celebratos noſcendi: <sup>d</sup> pariterque prouincias <sup>e</sup> internis certaminibus, aut magiſtratum iniuriis, feſſas reſouebat. Atque illum in reſreſſu ſacra Samoſthracum viſere nitentem obuui aquilones depulere. Igitur aliaque quæ ibi varietate fortunæ, & noſtri origine veneranda, relegit Aſiam, adpellitque Colophona, vt Clarii Apollinis oraculo vteretur. Non fœmina illic, vt apud Delphos, ſed certis è familiis & fermè Mileto accitus ſacerdos numerum modò conſultantium & nomina audit: tum in ſpecum degreſſus, hauſta fontis arcani aqua, ignarus plerumque literarum, & carminum, edit reſponſa, verſibus compoſitis ſuper rebus, quas quis mente concepit. & fe-rebatur, Germanico <sup>f</sup> per ambages (vt mos oraculis) maturum exitium cecinſſe. At Gn. Piſo quò properatius deſtinata inciperet, ciuitatè Athenienſiũ turbido inceſſu exterritam oratione ſæua increpat, obliquè Germanicum perſtringens, quòd cõtra <sup>g</sup> decus Romani nominis non Athe-

## OBSERVATIONES.

a Et à principe, & ab eo, qui pro principe eſt, magnus habetur honos hoſpitiæ ciuitati, ſi dum ibi comoratur, de magiſtratus, ac potentie inſignijs aliquid detrahit, perinde ac ſi non in ſubiecta, ſuæque ditionis, ſed in ſocia vrbe verſetur.

b Fœdiſſima aduſatio non vna, & eadem ratione, ſed multis, ac ſpecioſis, & ſua quoque dignatione tumefcens, nec ſolum è priuatorum penatibus, ſed ex totis vrribus, ac prouincijs, reſtã ad principes it, & maximos quoſque homines ag gredi nequaquam veretur.

c Loca vetuſta, & fama celebrata maximos quoſque homines ad ſe viſendum alliciunt. d Nullum tempus, nulla res, nullus eſſe locus, nihil ſeruum, nihil per iocum, aut relaxandi animi gratia agere debet princeps, quin ſit intentus in ſingulas occaſiones, quibus ſecuritati, & emolumento ſubiectorum proſpicere poſſit. Certè Germanicus, vel tum cum peregrinabatur, & curis vacuus videbatur eſſe, prouincias internis certaminibus, aut magiſtratum iniuriis feſſas reſouebat.

e Publica mala aut ex internis certaminibus, aut certè ex magiſtratum, ac potentiorum proſiſcuntur iniuriis.

f Conſulta oracula aut mentiuntur, aut ſi fortè verum dicunt, per ambages ſolent reſpondere; adeò vt non ſit operæpretium ea conſulere; at mera vanitas, atque adeò flagitium ſit, huiusmodi reſponſis fidem adhibere.

g Omnibus in rebus diligenter cauendum eſt, ne, dum noſtras virtutes oſtentamus, quidquam committamus contra dignitatem noſtram, & decus illius, cuius vices gerimus, quippe, virtutem alieno & loco ac tempore oſtentare, magis ad vitium, quàm ad virtutem referri poteſt.

nienſes